



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

2. Septembris. Si parùm domiti naturæ impetus verba, factáve à nobis frequenter excutiant ab eo, quod profitemur, aliena: tàm diu sunt duriùs castigandi, dum nobis obtemperent. S. Ignat. vitæ l. 3. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

est errare naturam, quam populum à maiorum moribus discedere.

2. Septembris.

Si parùm domiti natura impetus verba, factave à nobis frequenter excutiant ab eo, quod profitemur, aliena; tam diu sunt durius castigandi, dum nobis obtemperent. S. Ignat. vitæ l. 3. f. 218.

TAm diu catenis illigandæ sunt feræ, dum plenè mitescant, ut nocere non amplius sciant; par animales appetitus compescat rigor, plura secus tibi, & aliis damna inferent.

Quàm diu vivimus, hostes domitalis mus; sopitus est, non extinctus ignis, qui latet sub cinere, modicâ opus est stupâ, & & in flammam erumpens luculentum se ostendet.

Facilè ad naturam redeunt, quæ cicures videbantur feræ; plùs tamen his, quàm innatis affectibus fidei; citiùs hi, etiam ubi mortificati credebantur, furorem sumunt, & certiùs nocent.

Qui tutus esse vult à vulnere, in armis vivat, nec noctu his, nec die careat, pugil perpetuus; nec enim hostes nobis in-

festi esse cessabunt, donec iis mors pacem
indixerit in sepulchro.

3. Septembris.

*Ab omnibus opta cognosci, tam intus, quam
foris. S. Ignat. apud Lyr. in antel.*

Homo publico natus, in publici uti-
litatem vocatus, latere non debet;
hoc enim esset, lumen modio sepelire.
Quid prodesset aurum, si montium caver-
nis abditum hæreret incognitum?

Ignis, ubicunque est, luce, & calore se
prodit, prodesse petit omnibus, se ultro
offert, Imago sit Apostoli, ut, ubicunque
agit, exempli primùm luce, tum doctrinæ
sanctioris calore innotescat.

Lucifugæ, qui oculos, & notitiam fugi-
unt, plerumque sunt filii tenebrarum, rarò
tales optimi. Sol aspici non veretur,
imò diem accendit, ut aspiciatur. Semper
in publico se theatro spectabilem facit.

4. Septembris.

*Ne sis communis omnibus, neque familiaris,
sed consule spiritum, ad quem te magis
impellat; S. Ign. ibid.*